



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. I. Statuitur affirmativa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

DISPUTATIO XXXV.

DE

Obligatione legis:

ad q. 96.

PRæcipuus legis effectus seu proprietas est, subditos obligare ad sui executionem & obedientiam, prout ipsum legis nomen à ligando dictum significat. Ubi certum est, lege naturali & divinâ induci obligationem in conscientia, ita ut ejus transgressores in gravi materia peccati mortalis gehennæ reatum incurrant. Dubium est, an eadem sit vis legis humanæ, ut sub reatu peccati transgressorem obliget in conscientia. Ubi recolenda est divisio legis humanæ sup. exposita in præceptivam, pœnalem, mixtam &c.

ARTICULUS I.

An leges humanæ obligent in conscientia?

SUMMARIUM.

1. Lex humana obligat in conscientia.
2. Depellitur obiectio.
3. Obligatio legis vellest ad actum, vel ad pœnam.
4. Leges pœnales vel disjunctivæ mixtæ non obligant ad actum determinatæ.
5. Item si intentio obligandi ad actum non satis exprimitur.
6. Sanctiones, quæ volunt subditos gravare in conscientia, non sunt propriæ leges.
7. Solvuntur objectiones.
8. Leges tributivæ obligant in conscientia.
9. Multa Regule SS. Orarium non obligant ad actum.
10. Possunt tamen obligare indirectè, & per accidens.

§ I.

Statuitur affirmativa.

1. CONCLUSIO PRIMA. Lex humana tam civilis, quam Ecclesiastica potest obligare subditum in conscientia. S. D. q. 96. a. 4. estque tam certa, ut plures Authores asserant esse de fide: nam Luca 10. dicitur: *Qui vos audit, me audit.* Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas, nisi a DEO: quæ autem sunt, à DEO ordinata sunt.* Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, &c. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, &c. Act. 17. Apostoli Ecclesiis imposuerunt præceptum abstinendi à sanguine & suffocato, quod ibidem vocatur necessarium, non aliâ de causâ, quam quia obligans in conscientia. Accedit Ecclesiæ praxis, quæ fideles sese obligatos agnoscunt ad servanda præcepta Ecclesiæ de jejuniis, sacro diebus festivis audiendo, &c.

Probatur etiam ratione. Qui legis æternæ & naturalis obligationem determinat ad novam materiam, in qua antea non obligabat, ille causat novam obligationem in conscientia: sed qualibet lex humana justa & rationabilis facit, ut

aliqua materia de novo cadat sub universalitæ illius legis & præcepti tam Divini, quam naturalis, quod potestati legitimè præcipienti sit obediendum: ergo. Adde, quod absque obligatione in conscientia potestas legislativa ut plurimum foret inutilis, & inefficax, neque bono communi confuleretur, dum vi, vel fraude pœnas impositas plerique effugerent.

Dices. Judex inferior nil potest in foro judicis superioris: sed forum conscientie pertinet ad DEUM, unde dicitur forum poli: ergo potestas humana non potest inducere obligationem in conscientia. Respondeo: Nil potest in foro Superioris, nisi ad hoc ipsum potestatem acceperit à iudice superiori, concedo; secus, nego. Sed, ut dictum, Legislator humanus hanc potestatem habet à DEO, à cujus æterna lege qualibet lex justa derivatur.

CONCLUSIO. Qualibet lex humana, si verè habeat rationem legis, obligat in conscientia, vel ad actum de quo primo disponit, vel ad subeundam pœnam, quam adjicit. Ita Sotus l. 1. q. 6. a. 3. Suarez l. 3. c. 20. cum communi. Ratio est: quia licet pendeat à voluntate legislatoris, ut lex natura jubens superiori legitimè præcipienti parendum esse, applicetur, vel non applicetur determinatæ materię; non tamen pender ex ejus intentione, ut illa semel applicata non obliget: sed per quæcumque justam legem applicatur prædicta lex naturæ ad determinatam materiam, & quidem ad actum, si lex sit præceptiva, vel mixta copulativè; ad pœnam, si sit pœnalis; ad alterutrum, si sit mixta disjunctivè. Ergo datâ quæcumque lege humanâ semper est obligatio in conscientia vel ad actum, de quo lex primo disponit, vel ad pœnam. Unde

Inferes ex dictis primò. Leges purè pœnales, & disjunctivè mixtæ non obligare ad actum, quia pender à voluntate legislatoris, ut obligationem naturalem applicet vel ad actum, vel ad pœnam: sed in lege purè pœnali eandem applicat tantum ad pœnam; in lege disjunctivè mixta indeter-

indeterminatè vel ad actum, vel ad pœnam: ergo istæ leges obligant, vel non obligant determinatè ad actum.

5. Inferes secundò. Si in lege humana non satis clarè exprimat intentio obligandi ad actum, de quo lex primò disponit, non esse censendam obligationem determinatè ad actum, sed vel tantùm ad pœnam, vel ad alterutrum disjunctivè: quia in obscuris minimum est sequendum per Reg. 30. Juris in 6. Et contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio faciendâ. Reg. 57. in 6. Ceterùm intentio obligandi in conscientia ad actum, de quo lex disponit, colligi potest ex terminis legis, veluti cum utitur terminis præceptivis, vel prohibitoriis, jubemus, mandamus, &c. vel expressè onerat conscientiam subditorum, vel adjicit pœnam spirituales lata, vel ferendâ sententiâ, &c.
6. Inferes tertio. Siquæ dentur sanctiones à legitima potestate verbis præceptivis latæ, in quibus tamen legislator exprimit, se nolle gravare subditos in conscientia: tunc ejusmodi sanctiones nec esse propriè leges, neque consilia; sed simplices constitutiones, seu ordinationes. Ita Salmant. cap. 2. punct. 1. n. 7. cum Palao aliisque. Et quidem non sunt propriè leges, quia non ligant; prout legislator significat, in cuius est potestate imponere vel tollere obligationem. Neque sunt consilia: quia non fiunt verbis suavis, sed præceptivis: sunt ergo simplices ordinationes, quemadmodum multa statuta Regularia SS. Ordinum & Congregationum, Academia, &c.
7. Dices primò. Pœna supponit culpam: ergo nemo potest obligari ad subeundam pœnam, priusquam contraxerit culpam. Respondeo primò. Supponit culpam vel Theologicam, vel civilem, & politicam concedo; semper Theologicam, nego. Respondeo secundò. Pœna rigorosè accepta, supponit culpam, concedo; pœna latè accepta & medicinalis, nego: sed quando lex est merè pœnalis, tunc pœna non est rigorosè pœna, quia tantùm est quædam molestia & penalitas in finem boni communis inflicta; nec proinde supponit culpam Theologicam, sed civilem.

Dices secundò. Lex fundata in præsumptione facti, deficiente veritate facti prorsus non obligat: ergo non est de ratione legis, quòd obliget. Respondeo. Ejusmodi legè esse conditionatam, si nempe subsit veritas præsumpta, quâ proinde conditione deficiente, neque obligatio, neque lex ipsa ad ejusmodi casum extenditur.

§. II.

Quid de legibus tributorum & vectigalium?

3. CONCLUSIO SECUNDA. Leges tributorum & vectigalium verbis præceptivis conceptæ probabilis obligant in conscientia, si habeant debitas conditiones, ut sunt, legitima auctoritas imponente, finis debitus v. g. conservatio Principis, justum bellum, conservatio viarum &c. non excessiva, sed recta quantitas, & proportio moderata. Ratio est: quòd istæ leges fundentur in justitia

tum legali, tum commutativa: in legali, quâ tenetur membrum juxta proportionem suarum virium concurrere ad sublevandas communes necessitates; in commutativa, quâ subditi debent Principi, vel Magistratui sustentationem & reditus congruos propter onera & curam boni publici. Et deducitur efficaciter ex verbis Christi Matth. 22. Reddite, quæ sunt Cesaris, Cesaris. Et maxime Apostoli Rom. 13. Necessitate subditi restite etiam propter conscientiam, ideo enim & irrita præstatis &c. reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal, &c. Neque obest adjuncta pœna taxatio: hæc sola quippe non probat legem esse pœnalem, sed potius arguit gravitatem, & roborat obligationem. Ita cum Couarr. Layman l. 3. tit. 3. p. 1. c. 1. Engel l. 1. t. 2. §. 3. n. 46. Perichachet q. 4. a. 4. Ubi tamen merito observant Sylvester & Molina, defraudatorem tributorum, vel vectigalium in judicio poenitentiali non statim esse damnandum gravis peccati, neque ad restitutionem, vel pœnam exolvendam ante judicis sententiam obligandum: nam [1.] aliquando est communis, & non vana populi persuasio, sub prætextu publicæ necessitatis, aut congruæ sustentationis. Luxum & pompam quærit, vel tributa ob publicam necessitatem primitus imposita, postea sublata necessitate in luxum verti. [2.] vel de justitia tributi impositi dubitatur, & tunc potest esse melior conditio possidentis, ut cum Molina notat P. Engel cit. [3.] vel dubitatur, num lex sit pœnalis, aut non imprudenter ob communem opinionem vel consuetudinem præsumitur esse talis. [4.] Opposita quoque sententia, dicens, leges tributorum esse pœnales, videtur esse præctice probabilis [5.] Maxime in forensibus & externis, quibus propter solum transitum magna sepe vectigalia sunt solvenda, nec tamen tanta ipsi obligatio ad bonum alieni Principis aut Provincie conservandum incumbit, quàm propriis subditis: [6.] Aliquando etiam tantum est excessus vectigalium impositorum, ut legislator ad eorum solutionem conscientias onerare non voluisse merito præsumi debeat.

§. III.

Quid sentiendum de regulis SS. Ordinum, præsertim S. P. Benedicti?

CONCLUSIO TERTIA. Plurima constitutiones & regula SS. Religionum & Ordinum Regularium non obligant in conscientia ad actum, quia aliquæ sunt tantum pœnales, aliqua vero tantum se habent per modum simplicis statuti & regula dirigentis. Ita non tantum de sui S. Ordinis sed etiam de Regula S. P. Benedicti sentit S. Th. 2. 2. q. 186. a. 9. & quodlib. 1. a. 20. D. Anton. 3. p. tit. 16. c. 1. Anton. Perez in prol. reg. de vit. 7. Caram, in Reg. disp. 7. a. 2. Retting de leg. q. 18. a. 3. controver. 2. docentes: Regulam S. P. Benedicti extra materiam votorum non obligare ad actum, sed in plerisque habere rationem vel legis pœnalis, vel simplicis statuti. Ex quo bus ratio assertionis nostræ sic deducitur. Quæcunque continentur in sacra Regula, aut sunt præcepta, aut ordinationes & statuta, aut admocationes & consilia: unde [adverte D. Anton. 3. p. tit. 16. c. 1.]